



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv  
Fvndavit, Libri III**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Dvaci, 1585**

Eiusdem ratio proximos adiuuandi. Cap. XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44004**

in signibus antecellunt. Idem, in respondendo agendoque, simplicitatem ita cum cautione coniunxit, ut satis appareret, alteram alteri non modo impedimento non esse, verum etiam ornamento atque præsidio. Suspensa, vel ambigua, vel obscura verba, perplexum de industria incertumque sermonem; uti barbaras artes, & subdola mendacij tegumenta, fidei que ac societatis humanę perniciem, semper est detestatus: ac suo monstravit exemplo veritatis cultor eximius, quantum inter prudentiam & calliditatem interfit.

*Eiusdem ratio proximos adiuuandi.*

CAP. XI.

**M**IRÆ fuit solertię in sollicitandis mortalibus, & à diaboli seruitute ad Christi Domini obsequium traducendis. ac, quibus artibus dæmon ad animarum perniciem utitur, eisdem ipse (quoad liceret, ac fas esset) ad hominum salutem ac beneficium trāsferabat. Voluntates ac naturas eorum quibus cum ageret, festine odorari; ambitiosis splendida, auaris vtilia, voluptuosis iucunda proponere; & suo, quod aiunt, hamo vel esca quemque piscari. Iam in congressu, maxime Principum, id obseruabat in primis, ut sermonis initia illis daret, extrema reseruaret sibi: cauebatque ne de rebus etiam diuinis inepte vel ad satietatem ac fastidium ageret. Tristem vero & horridam sapientiam (vtique postquam in lucem hominum prodijt) semper vitauit: cumque philosophię nomen ipsum, intelligeret, etiam si modeste tractetur, tamen satis odiosum esse per se; nihil in habitu suo, vel in genere vitę, rarum aut notabile conspici voluit; ac semper sese, quibus

rebus

rebus honeste ac religiose potuit, ad communem  
 consuetudinem accommodavit: neque commisit,  
 ut quod ipse non faceret, id in alijs reprehendere pu-  
 taretur: prorsus, ut eius mores prima fronte, vel emi-  
 nus intuenti, vnus aliquis è populo videretur esse:  
 verum quo propius illum inspiceres, quo diutius  
 ac familiarius vterere; eo magis præstantiam virtu-  
 tesque viri, tamquam odorem ex affricu, sentires.  
 atq. id ipsum est causæ, cur nostris nullam in vestitu  
 ornate, religionis iniunxerit notam: sed quo fa-  
 cilius in hominum cætus & consuetudinem irre-  
 perent, ac tempestiuus colloquijs vnumquemq. ad-  
 iuuarent; vbi cumq. gentium versarentur, quàm mo-  
 destissimo eius gentis habitu iussit incedere: neque  
 vllum dare signum animi à sensu cõmuni vel ab hu-  
 manitate abhorrentis. Idem valde vituperabat mo-  
 deratores animarum eos, qui vel vna eademq. via,  
 ac ferme quam ipsi tenuissent, ceteros etiam ad stu-  
 dium virtutis conarentur adducere; vel, dumtaxat si  
 quis ad pietatem esset sua sponte propensus, formã-  
 dum regendumq. susciperent: sed ipse nimirum vel  
 feros & barbaros homines non dubitabat aggredi,  
 sic, ut à singulis quod dabatur acciperet: & quos ad  
 consilia Christi prouehere non posset, certe ad præ-  
 cepta sensim allicere nitetur. atq. ut bonus agri-  
 cola non tantum rectas & fructuosas arbores, sed etiã  
 deprauatas, neq. ita fertiles colit; easq. vel admini-  
 culis erigit, vel circumcidendo castigat, vel sub alie-  
 na latentibus vmbra cælum aperit, vel telluris vitio  
 laborantibus mutat locum; sic ille, rerum difficulta-  
 te nequaquam exterritus, dispiciebat in primis  
 quod ingenium qua ratione tractandum esset: ijs-  
 dẽq. sæpe morbis, pro varietate naturæ, non diuersas  
 modo,

modo, sed etiam contrarias inter se medicinas adhibere consueuerat. Quòd si quem, omnia expertus, tamen è cœno peccatorum extrahere nequiuisset; non ideo contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum & operam perdidisset; sed conscientia & officij fructu contētus, acquiescebat in alto Providentiæ diuinæ consilio. De spirituum discretione (quam ille scientiam habuit maximam) deq. moderandis affectibus, multa præcepit egregie: quæ quoniã exstant scripta (quemadmodum initio diximus) nihil est quod à nobis hoc loco ingerantur.

*Vita eius quotidiana, & domestica.*

C A P. XII.

**S**OCIETATI Præpositus, de uexa iam ætate, viuendi priuatim hanc ferme normam tenebat. Mane, vt primum euigilasset, certum tempus dabat precationi, & contemplationi bonorum cælestium; deinde, si sacrificandum illi esset (quod munus propter summam animi attentionem, & corporis imbecillitatem, sepe intermittere cogebatur) sacro, sub vesperam pridie, ad Urbis consuetudinem ordinato, & accurate præcognito, rem diuinam faciebat: quæ recitanda forent, vel in priuato sacello, nemine præter administrum adstante, contra morem Hispaniensem elata pronuntians voce, vsque adeo Ecclesiæ Romanæ ritus omnes & cæremonias adamauerat. A psallendo, quamquam inuitus abstinebat, quòd ei propter vim lacrymarum, & frequentem ecstasim qua corpus mire affligebatur, eiusmodi officio summus Pontifex nominatim interdixerat. A sacro, si cuius negotij  
causa